

87. — QUAER. 3^o *Quinam Principes saeculares potestatem condendi leges habeant?*

Resp. Omnes ii, qui suprema gaudent auctoritate, nec sunt alterius delegati, ut huius nomine agant; eiusmodi sunt Imperatores, Reges, Magistratus Reipublicae legitime constitutae, etc.; non vero Duces militum nec Praefecti provinciarum, qui proprio nomine agere nequeunt. — V. Cas. n. 79. et seq.

Si qui autem sunt, qui licet agant nomine proprio, nihilominus Superiori subdantur; horum leges a Superiore irritari aut reformari possunt, v. g. leges Principis feudatarii in ordine civili a primario Principe, sicut et in ordine ecclesiastico leges Episcopi aut Concilii provincialis, aut Praelati Regularis corrigi vel aboleri a Romano Pontifice possunt (7).

CAPUT III.

DE OBIECTO ET SUBIECTO LEGIS

ARTICULUS I. — DE OBIECTO LEGIS.

88. — Obiectum legis generatim est quidquid lex praecipere vel prohibere potest.

Principia. — I. Obiectum legis sunt omnes et soli actus, quorum positio vel omissio ad bonum commune conferre potest. Ex dictis sequitur:

II. Omnes actus indifferentes *distributive* sumpti obiectum legis esse possunt; nam cum actus eiusmodi conferre ad bonum commune possint, eo ipso possunt praecipere aut vetari (1).

89. **Quaesita.** QUAER. 1^o *An actus heroici sub legem cadant?*

Resp. Generatim sub legem cadere non videntur (2), quia vires humanas excedere moraliter censentur, atque adeo eiusmodi lex careret ea dote, qua posset dici *possibilis*. Attamen aliquando, exigente bono communi, praecipere possunt. Sic milites vigiles non possunt stationem deserere, etiam imminente periculo vitae, si detrimentum inde Respublica captura sit.

(7) Hoc valet etiam quoad Concilii oecumenici decreta; quae cum vim obligandi non habeant nisi accedente Romani Pontificis confirmatione, hic reformare ipsa vel reuocare potest. Ita S. Leo I. canones quosdam disciplinares in Synodo Chalcedonensi latos non admisit.

(1) Notissima est distinctio inter ea, quae prohibentur, quia mala sunt, et ea, quae mala sunt, quia prohibentur. Porro

postrema haec ambitu actuum per se indifferentium continentur.

(2) Haec quaestio, uti patet, fit de legibus humanis. Nam lex divina tum naturalis tum positiva obligare potest etiam cum vitae discrimine. Ita SS. Martyres mortem, eamque acerbissimam, non ex *supererogatione quadam*, sed ex obligatione subierunt.

QUAER. 2^o *An lex humana possit praecipere actus mere internos?*

Resp. 1^o Lex civilis certo non potest, quia sine his actibus legislator finem suum obtinet. — Praeterea de internis iudicare nequit.

2^o Neque lex ecclesiastica iuxta plures id potest; quia (aiunt) legislata Ecclesiae potestas ad externam tantum fidelium gubernationem pertinet. — S. Lig. l. 1. n. 100., S. Thom., Suarez, Bened. XIV etc. contra alios qui probabiliter etiam affirmant, quia Ecclesia illimitatam potestatem a Christo accepit (3).

90. — QUAER. 3^o *An lex humana possit praecipere actus mixtos, seu partim internos et partim externos?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia actus mixti constituunt simul unum *morale indivisum*. Sic Ecclesia praecipit devotam attentionem in Missae celebratione. — Ita omnes.

QUAER. 4^o *An lex humana praecipere possit actus externos occultos?*

Resp. Affirm. Quia potestatem habet dirigendi quidquid externum est. Actus enim occulti natura sua ab aliis non differunt; quod autem puniri nequeant, id per accidens contingit. — S. Lig. *ibid.*

QUAER. 5^o *An Confessarius actus mere internos intungere possit?*

Resp. Affirm. Quia munus dirigendi poenitentes in via salutis hanc facultatem exigit. Hinc pias meditationes poenitentibus iniungere potest, — Voit, n. 163.

ARTICULUS II. — DE SUBIECTO LEGIS.

91. **Principia.** — I. Omnis homo nascitur et remanet subiectus legi naturali. Cum enim lex naturalis sit ipsamet divina voluntas praescribens rectae rationi consentanea, in mente cuiusvis hominis indelebili

(3) Prior opinio, quae Ecclesiae negat potestatem praecipendi actus mere internos, magis quadam extrinsecae auctoritatis specie quam ratione inniti videtur. Potior enim, quae assertur ratio, quod Ecclesiae potestas ad meram externam gubernationem spectet, vix aut ne vix quidem videtur toleranda; numquid enim ad meram externam gubernationem pertinet, quod directe attentionem in orando praecipiat, aut quod Regularibus certum sanctis meditationibus tempus praescribat?

Quod addunt, Ecclesiam nunquam eiusmodi actus praecipisse, et falsum allatis non paucis exemplis ostendi potest, et nihil per se concluderet; perperam enim

a negatione actus arguitur ad potentiae negationem.

Denique subdunt, Ecclesiam de his actibus iudicare non posse. Verum 1^o negari potest illatio: numquid enim magis potest iudicare de interiori meditandi exercitio, quod tamen Regularibus praecipit? 2^o Sed negari potest et antecedens. Licet enim id verum sit de iudicio, quod ab homine profertur per sententiam, at falsum est de iudicio, quod (ut ait Suarez *De Leg.* lib. 4. cap. 12. n. 4.) a legislatore fertur per legem, quando nempe lex per se ipsam punit delictum, v. gr. per censuram ipso facto incurrendam.

charactere imprimatur. Igitur per accidens fit (1), ut, obvoluta ratione, non statim agnoscat, vel aliquando cognosci desinat.

II. Omnes et soli subditi rationis habitualiter compotes sunt legi humanae subiecti. — Ratio *primi* est, quia lex ferri nequit nisi in subditos. Ratio *secundi* est, quia homines, habitualiter usu rationis carentes, legibus dirigi non possunt.

III. Soli homines actualiter ratione utentes possunt legem moraliter violare: quia, deficiente cognitione, nemo peccare potest, iuxta dicta in Tract. de Act. hum. n. 4. — Hinc qui ad breve tempus ratione carent, dicuntur *excusati* ab impletione legis, licet eidem sint subditi.

92. **Resolves.** — 1° Non licet provocare infantes et amentes ad rem intrinsece malam, v. gr. ad blasphemias, turpitudines, etc.; quia illi utpote naturam rationalem habentes lege naturali *in actu primo*, seu radicaliter obligantur; ideoque formaliter peccant, qui eos ad actus intrinsece malos provocant. — Reuter, n. 167.

2° Infantes et perpetuo amentes non sunt legi humanae subditi, ut patet ex *principio II*. Licet igitur eis dare carnes edendas diebus quibus illae ab Ecclesia prohibentur, etc. (2).

3° Amentes tamen ad breve tempus, vel qui multa lucida habent intervalla, ebrii et dormientes, sunt legi subiecti, quia sunt in statu habituali usus rationis; per accidens tamen sunt ab ea excusati, si non sint actualiter rationis compotes. Hinc non licet eis dare carnes diebus prohibitis. — S. Lig. l. 1. n. 155., etc.

4° Infideles, nimirum quicumque Baptismo non sunt expiati, legibus ecclesiasticis non obligantur; quia Ecclesiae iurisdictioni nondum subii-ciuntur, quamvis teneantur Ecclesiam ingredi (3).

5° Haeretici, schismatici, et quicumque alii baptizati, etsi non catholici, legibus ecclesiasticis *per se* tenentur; quia quamvis sint rebelles, non cessant esse Ecclesiae subditi: attamen *per accidens* in praxi non videntur peccare; quia fere nesciunt, se ex conditione sua ad servandas has leges teneri, etiamsi forte necessitatem et obligationem ingrediendi catholicam Ecclesiam iam cognoscant.

(1) Haec ita dicenda sunt, quia homo nunquam censetur a lege naturali exemptus, sed tantum a reatu excusatur, ubi in ea violanda desit actus perfectio. Exinde etiam consequitur, quod ad actus legi naturali oppositos impelli ille non possit, qui impeditum habet rationis usum; quod contra accidit, si de legibus mere humanis sermo sit.

(2) Non tamen id expedit cum puerulis, qui ante septennium aliqualem, licet valde imperfectum, usum rationis habere incipiunt. Interest enim quam maxime, ut ab unguiculis iugum Domini portare assuescant.

(3) Proinde valida sunt inter eos matrimonia, licet cum quopiam impedimento iuris mere ecclesiastici contrahantur.

6° Eadem de causa Ecclesiae legibus adstringuntur excommunicati, quamvis de Ecclesia eiectione fuerint; secus enim ex malitia sua commodum reportarent (4).

93. — **Quaerita.** — QUAER. 1° *An Clerici teneantur legibus civilibus?*

Resp. 1° Certo non obligantur legibus quae repugnant immunitati ecclesiasticae adhuc vigenti, vel eorum statui, aut sacris Canonibus. *Ita communiter.* — 2° Certo obligantur ad omnes leges, quae bonum commune immediate spectant. — 3° Quoad alias leges, videntur teneri sicut et caeteri, quia sunt pars communitatis, et Ecclesia id exigit et praecipit. — *Ita communius.* — Suarez. — Reuter, n. 168.

QUAER. 2° *An pueri teneantur ad leges ecclesiasticas statim ac usum rationis adepti sunt, licet septennium nondum expleverint?*

Resp. Affirm. probabilius. Quia omnis homo ratione utens est eo ipso legi subditus, ut constat ex *princ. II*. — S. Lig. n. 120. (*ut probabilius*). Attamen probabiliter negant non pauci, quia, ut aiunt, Ecclesia censetur attendere ad ea quae communiter contingunt. — Sic Lacroix, n. 676 (*ut probabile*). — Reuter, n. 167. — S. Lig. (*ut probabile*) lib. 3. 270. — Elbel, n. 369 (5).

94. — **Quaer.** 3° *An peregrini teneantur legibus sui territorii?*

Resp. 1° *Neg.* generatim, quia lex, quae respicit communitatem, est *territorialis*, nec afficit personas, nisi per territorium. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Si abeant animo se obligationi legis subducendi, *controvertitur.*

Affirmant Concina, Collet, Antoine et quidam alii; quia ut inquit, nemini fraus sua patrocinari debet.

Sed communius et probabilius DD. negant; quia exiens e territorio non in fraudem legis agit, sed utitur iure suo. — S. Alph. lib. 1. n. 156. Elbel, n. 370. — Lacroix, n. 683. etc. (6).

QUAER. 4° *An peregrini teneantur legibus loci, in quo versantur?*

Resp. 1° *Affirm.*, si habeant ibi *quasi domicilium* (7), quod acquiritur

(4) Excipe, nisi ipsa excommunicatio interdicat exercitium illorum actuum, qui alioqui praecipuntur, v. gr. Sacro interesse.

(5) Ceterum pueros post septennium teneri observare qualitatem ciborum ab Ecclesia praescriptorum affirmavit s. Poenit. 15. Mart. 1837.

(6) Quod dicitur de legibus proprii territorii, valet etiam de lege iuris communis, quando peregrinus ibi versetur, ubi

haec non viget. S. Ligor. lib. 1. n. 156. Quod tamen additur, nihil obesse, si ea intentione e territorio suo quis exeat, locum non habet, si e territorio exit, ut a reservatis absolvatur, vel ut matrimonium clandestine celebret in loco, ubi decretum Trident. de necessaria parochi et duorum testium praesentia ad matrimonii validitatem non viget.

(7) At enim si habeant ibi *quasi domicilium*, non sunt amplius peregrini.

habitatione et intentione habitandi alicubi per maiorem anni partem. Ratio est, quia per *quasi domicilium* fiunt vere subditi loci illius. — *Ita fere omnes.* — S. Lig. l. 1. n. 156.

Resp. 2^o Omnes peregrini et vagi tenentur ad leges speciales loci in quo versantur, 1^o quoad contractus, 2^o quoad necessaria ad bonum commune. — *Ita omnes.*

Resp. 3^o Quoad alias leges, triplex est sententia probabilis.

I^a SENTENTIA *probabilior* illos excusat, secluso scandalo, quia lex non obligat nisi subditos. — Ita S. Lig. l. 1. n. 156. etc.

II^a SENTENTIA eos obligat ad omnes leges, quia *qui sentit commodum* (8), et *onus sentire debet.* — Collet. — Antoine.

III^a SENTENTIA *sic distinguit*: Tenentur ad omnes leges, si pervenerint ad terminum itineris; si vero non pervenerint, tantum ad leges negativas tenentur. — Ita cum quibusdam Suarez (9), qui tamen concedit primam quoque sententiam esse probabilem.

95. **Ex dictis circa peregrinos resolves.** — 1^o Si in tuo territorio vel paroecia sit ieiunium, et eodem die pergas ad locum ubi non est ieiunium, potes vespere coenare. — *Ita communiter.*

2^o Probabiliter potes etiam ientare, si mane exiturus sis, ut contra *alios* docent Busemb., Less., Sanch., etc., et probabile putant Salmant. cum Suar., apud S. Lig. n. 157 (10). Ratio est, quia ieiunium est quid individuum.

3^o Mane existens in loco, ubi non est ieiunium, vesci potes carnibus,

Nam *peregrinus* dicitur quisquis alicubi versatur neque *domicilium* habens, neque *quasi domicilium*.

(8) Commodum peregrinus sentit, quatenus et a servandis propriis territorii sui legibus eximitur, et privilegiis loci, in quo peregrinatur, fruitur.

(9) Suarez (*De Rel. Tr.* 2. lib. 2. c. 44. n. 18. et 23.) reipsa contendit, peregrinos etiam transeuntes pro eo tempore, quo in quopiam loco quiescunt, huius legibus teneri, et quidem non modo *negativis*, sed etiam *positivis*, nisi damnum aliquod seu incommodum afferant; ac proinde peregrinum, qui toto diei inibi festi matutino tempore consistat, ad audiendam Missam obligatum censet. Verumtamen ex generali canone mera probabilitas huius sententiae ad inducendam obligationem non sufficit. Quocirca nec valet illa conclusio, quam

ex hac sua sententia Suarez deducit, peregrinum peccatorum reservationibus propriis territorii, in quo peregrinatur, subiacere.

(10) S. Alphonsus mere scribit: *Probabile putant Salmanticenses De Leg. c. 3. n. 70.* cum Suarez. Reipsa tamen gratis Salmanticenses (*De Leg. cap. 3. n. 68*), et post eos S. Alphonsus allegant hic Suarezium, qui loco a Salmanticensibus allegato (*De Leg. lib. 3. cap. 32. n. 3.*) nihil de hac quaestione habet. Caeterum Salmanticenses (*ibid. n. 70.*) alia via incedere maluerunt, statuentes nimirum rationem habendam, in quo territorio per maiorem diei partem quispiam moretur. Et haec quidem opinio placuit etiam Laymanno, qui tamen (*lib. 1. tr. 4. c. 41. n. 7.*), non seus ac Salmanticenses, probabilem censet A. sententiam.

etsi circa meridiem reversurus sis domum, ubi est ieiunium. Domi tamen certo teneris abstinere a carnibus. — S. Lig. n. 158.

4^o Si in tuo territorio vel paroecia sit speciale festum, et in alium locum, ubi non sit festum, profecturus sis, non teneris audire Sacrum ante discessum, modo perventurus sis extra locum, ubi viget praeceptum, antequam tempus obligationis cesset. Ratio est, quia praeceptum non obligat, ut expectes. — S. Lig. l. 1. n. 157. — Salmant. n. 66. contra Antoine, etc.

5^o Tenentur peregrini omnibus legibus communibus eo loco vigentibus, etsi in suo territorio essent abrogatae, vel per dispensationem hic et nunc non obligarent. Ratio, quia subsunt legislatori communi, et absentes non gaudent proprii territorii privilegio. Sic Gallus extra patriam tenetur ad Missam die Epiphaniae, etc., Hispanus ad abstinentiam die sabbati, etc. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 39.

6^o Probabiliter non tenentur peregrini ad legem particularem alicuius loci servandam, etiamsi eadem lex particularis in suo territorio vigeat: ratio, quia nec tenentur legibus patriae, quia absunt; nec legibus loci, in quo versantur, quia utpote peregrini illis non subiciuntur. — Reuter, n. 179. — Lacroix, n. 686. contra S. Lig. l. 1. n. 156.

7^o Si quis legi communi iam in sua patria vel suo territorio satisfecerit, probabiliter non tenetur iterum satisfacere adveniens in locum, ubi serius urget. Sic Italus vel Hispanus, qui in patria ieiunavit in per-vigilio S. Petri, non tenetur iterum ieiunare in Gallia, ubi hoc ieiunium in sabbatum sequens transfertur. Ratio, quia non datur obligatio iterum idem praeceptum adimplendi, cum iam suo tempore adimpletum est: ubi enim iam est solutum debitum determinatum, non est iterum solvendum. — V. *Cas.* n. 79. et seq.

CAPUT IV.

DE PROMULGATIONE ET ACCEPTIONE LEGIS.

ARTICULUS I. — DE PROMULGATIONE LEGIS.

Promulgatio est publicatio legis, facta a legitima auctoritate ad obligationem in subditos inducendam.

96. **Principia.** — I. Promulgatio publica legis necessaria est ut ipsa obliget, nec sufficit eius privata notitia, quia sic praeceptum non est sufficienter communitati propositum et manifestatum. — S. Lig. n. 95.

II. Promulgatio sufficit sine notitia legis ad obligandum in foro externo, quia legis rite promulgatae notitia generatim praesumitur. In foro autem interno, notitia legis insuper requiritur, quia nemo peccare potest sine obligationis cognitione, iuxta dicta in tract. *de Act. hum.* n. 4. et seq.

III. Ex natura rei sufficit, ut lex promulgetur in aliqua praecipua civitate, seu in tali loco, unde ad notitiam communitatis pervenire possit, et statim obligat ac promulgata fuerit. Attende tamen ad consuetudinem receptam, vel ad statuta particularia variorum locorum.

97. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An obliget lex dubie promulgata?*

Resp. Neg., quia non est sufficienter manifestata et intimata, et proinde dubia est; lex autem dubia non obligat. — S. Lig. n. 97.

QUAER. 2^o *An leges pontificiae obligent statim ac promulgatae sunt?*

Resp. Affirm. Lex enim promulgata eo ipso statim vim habet, et obligat etiam in actu, ut aiunt, secundo eos omnes, qui eam agnoscunt.

QUAER. 3^o *An sufficiat, ut leges episcopales promulgentur in civitate episcopali? — et papales Romae?*

Resp. Affirm. quia hoc sufficit, ut populo Christiano manifestari possint. Praeterea modus promulgationis est in potestate legislatoris. — Porro in praxi Episcopi obligare volunt per promulgationem in urbe episcopali factam, et Pontifices per eam quae Romae fit (1).

Quoad Conc. Trid. certum est, decreta eiusdem ad fidem et mores spectantia obligare etiam in iis locis, ubi specialiter non sunt promulgata; itemque decretum circa matrimonia clandestina non obligare nisi in paroeciis, ubi promulgatio praecessit. Quoad alia decreta, quae reformationem respiciunt, praefenda est sententia asserens, ipsa ubique obligare, cum Romae debito modo promulgata sint. — Scav. et Anal. *Iuris pont.* ser. II. col. 2308. — Et *Cas.* n. 89. et seq.

ARTICULUS II. — DE ACCEPTATIONE LEGIS.

98. Acceptatio legis est submitio, qua subditi, saltem quoad maiorem et saniozem partem, formaliter vel virtualiter legem acceptant.

Principia. — I. Per se lex quoad vim obligandi nullo modo pendet ab acceptatione populi; secus enim simul cum Superioris potestate cor-

(1) Opinio, quae pro legibus pontificiis promulgationem in singulis provinciis, ac lapsum duorum mensium requirit, antequam vim habeant obligandi, innititur dumtaxat incomposito quodam falsarum allegationum cumulo, quas congestas videre est apud Reiffenstuel (lib. 1. tit. 2. §. 5. n. 125.) et Suarez (*De Leg.* lib. 4. cap. 45. n. 1.), et quas deinde alii mutuatim aliquam huic opinioni extrinsecam probabilitatem tribuerunt. Et sane plerique omnes, qui allegari solent, tum veteres Canonistae tum Theologi posteriores,

ita vim obligandi pontificiis Constitutionibus tribuerunt, ut statim a promulgatione facta in romana curia omnes, qui eam nossent, ad eam servandam tenerentur: de promulgatione vero, seu melius de evulgatione in provinciis, tum etiam de certi temporis lapsu disputatio eo tantum spectabat, ut definiretur, quandonam legis violatores ad poenam evadendam possent in iudiciis probabilem ignorantiam legis allegare. Cf. dissert. 2. in fine volum. 1. *Op. Theol. mor.*

rueret omnis legum auctoritas, atque adeo totius ordinis socialis subversio sequeretur. Constat etiam ex propositione 28. ab Alexandro VII. damnata, quae sic iacet: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam* (1). — *Ita omnes.*

II. *Per accidens* quandoque lex non acceptata non obligat, ratione taciti vel expressi consensus Superioris, aut ratione privilegii vel consuetudinis toleratae. Constat ex praxi in variis casibus, atque ex consensu communi theologorum. — S. Lig. n. 138.

99. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An obliget lex, si maior et sanior pars populi eam non acceptaverit?*

Resp. Neg., si Princeps non urgeat; quamvis enim peccaverint priores legem non acceptantes (2), alii tamen culpa vacant ob praesumptum Superioris consensum. — S. Lig. n. 137.-139.

QUAER. 2^o *An obliget lex in dubio an sit acceptata?*

Resp. Affirm., quia praesumi debet acceptata, nisi de contrario constet: *Praesumitur enim factum, quod de iure faciendum erat*, iuxta regulam supra relatam n. 76. — S. Lig. n. 97.

QUAER. 3^o *An obliget Ecclesiae lex, quae, aliquo gubernio civili prohibente, acceptata non fuit?*

Resp. Affirm. per se, quia Ecclesia accepit potestatem suam a Christo, non vero a potestate civili; et proinde est ab ea omnino independens. Ipsi enim a Christo dictum est: *Quodcumque ligaveris..., erit ligatum*, etc. *Matth.* 16. 19. — S. Lig. n. 137. (3).

(1) Damnatio tamen eos tantum reipsa ferit, qui dicant non peccari, etiam quando sine ulla causa lex non recipitur.

Et Salmanticenses quidem (*De Leg.* cap. 1. n. 98. et 101.) minus considerate quamplures theologos et canonistas incusant, quasi docuerint, leges non civiles modo, sed et ecclesiasticas et quidem etiam Pontificias vim obligandi a populi acceptatione mutuari. At enim Doctores ibi allegati reipsa nil aliud fere sibi volunt, quam quod A. in secundo principio heic proponit.

(2) Cum Doctores unanimiter consentiant, generatim loquendo, eos peccare, qui primi legem a Principe promulgatam non recipiunt; aliud tamen statuunt quando *maior et sanior pars populi* (quae est Auctoris hypothesis) *legem non acceptaverit*. Ratio autem patet, quia *pars sa-*

nior populi ex viris doctis, probis, ac prudentibus constat. Hi porro, et plerique omnes, qui his adhaerent, legi non repugnant, nisi ex illa grave aliquod incommodum, seu scandalum, seu perturbatio merito timeretur: quae sane efficiunt, ut ope epicheiae benigne conici possit de Principis voluntate, atque adeo obligatio legis suspensa censi queat, quousque aut per appellationem, si ab inferiori magistratu lex prodierit, aut per supplicationem Principi oblatam opportune res componantur. Atque ita quidem DD. communiter. Non bene ergo Salmanticenses (*De Leg.* cap. 1. n. 107.), a quibus S. Alphonsus (lib. 1. n. 139.), et a S. Alphonso A. haec mutuatus est, responsum, quod diversissimae hypothese congruit, praesenti hypothese copularunt.

(3) Cf. propos. 28. Syllabi Pii IX.

QUAER. 4^o *An Episcopi possint leges pontificias non admittere?*

Resp. Negandum est. Etenim Episcopi, licet Principes sint in suis Ecclesiis, Romano tamen Pontifici, immediato Christi in terris Vicario, totiusque Ecclesiae capiti et gubernatori, subiiciuntur. Ei igitur parere debent, et sic exemplum obedientiae propriis subditis praebere, legem pontificiam promulgando et eius observantiam in dioecesi sua procurando. Excipe tamen si graves obstant rationes; tunc enim non tantum possunt, sed debent Episcopi has rationes S. Sedi exponere, deinde vero eius definitioni acquiescere tenebuntur — Vide Bened. XIV, *de Synod.* l. 9. c. 8. (4).

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE LEGIS.

Agendum 1^o de vi obligationis; 2^o de modo obligationi satisfaciendi; 3^o de causis ab ea excusantibus.

ARTICULUS I. — DE VI OBLIGATIONIS.

100. **Principia.** I. Lex quaelibet veram inducit obligationem, saltem ad poenam; in hoc enim a consilio lex differt, quod hanc impune pro lubito suo posthabere subditus non possit. — *Ita omnes.*

II. Lex humana quaelibet in conscientia coram Deo *per se* obligare potest (1). Ratio est, quia Superiores a Deo constituti sunt cum potestate praecipendi. Hinc Apost. Rom. 13. 12.: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* — *Ita omnes.*

(4) Et cf. propos. 11. Syn. Pistoriensis.

(1) Dicitur, *obligare potest*, non vero, *obligat*; ratio, quia lex non obligat ultra mentem legislatoris; ergo si is intendat sub sola poena obligare, lex per se ad culpam non obligabit. Et hoc quidem tum de legibus civilibus tum de canonicis valere, tradunt DD. communiter. Vid. Reifensuel, *Ius can.* lib. I. tit. 2. n. 199. et seqq., Laymann, lib. I. tr. 4. cap. 15. n. 1. etc.

Num vero lex quaequam mere poenalis censenda sit, an vero violatio eius etiam conscientiae reatum inferat, id communiter DD. definiendum statuunt ex mente legislatoris, quae tum ex legis materia ac

verbis, tum ex aliis adiunctis arguatur. Quod autem habent Salmanticenses (*De Legib.* cap. 2. n. 45.), et post eos S. Alphonsus (lib. 1. n. 147.), normae instar habendum, num ultra *poenam praecipitum adiungatur*, accipi id debet (ut cum aliis addit Suarez *De Leg.* lib. 3. cap. 3. n. 6.), nisi aliunde constet de mente legislatoris, quae (ut idem Suarez addit, ibid. cap. 4. n. 8.) colligi potest etiam ex consuetudine, quae est optima legum interpret. Multo minus autem admitti ceu regula certa potest, mere poenales esse leges, si nulla verba *praecipientia* praefertant; de quo vid. Suarez cit. cap. 4. n. 10.

III. Lex obligat *sub gravi* aut *sub levi* pro gravitate materiae aut circumstantiarum, vel finis a Superiore specialiter intenti. Lex autem affirmativa obligat *semper*, sed non *pro semper*: lex negativa vero obligat *semper* tum *pro semper*, id est pro singulis momentis — *Consentiunt omnes.*

IV. Lex divina positiva, et humana, non obligant *generatim* cum incommodo *valde gravi*, seu cum gravi nocumento, quod *per accidens* observationi legis coniunctum sit. Constat ex Iure naturali et canonico, ex praxi Ecclesiae et consensu omnium.

101. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An legislator possit praecipere sub levi in materia gravi, et vice versa?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, saltem probabilius, quia obligatio pendet ab eius voluntate, sicut lex ipsa. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 143.

Resp. ad 2^{um} *Neg.*, quia deest proportio inter obligationem gravem et materiam levem. Excipe si materia non sit undequaque levis, sed gravis ex fine, etc. — S. Lig. ibid. *et alii communiter* (2).

QUAER. 2^o *Quaenam materia legis censenda sit gravis vel levis?*

Resp. Colligendum id est 1^o ex verbis ipsis legis; 2^o ex eius obiecto, fine et circumstantiis; 3^o ex gravitate poenae inflictæ; 4^o ex interpretatione consuetudinis. — Sed in genere materia gravis est, quando finis legis sit prorsus magni momenti, et ad hunc finem lex multum conducat, aut si valde obsit, etsi *de se* sit quid leve; secus, materia censebitur levis. Sic grave est pro celebrante Missam, si omittat infundere in Calicem aliquot guttulas aquae. Non autem erit grave, si die ieiunii unciam panis manduces extra refectionem. — S. Lig. n. 144. — Lacroix, n. 663, *et alii communiter.*

QUAER. 3^o *An lex humana possit aliquando impedire, ne obligatio, alioquin valida, contrahatur?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia aliquando bonum commune id exigit; nec prohibet lex naturalis, ut bono communi exigente apponantur conditiones, quibus invalidentur actus alioquin validi (3).

(2) S. Alphonsus (lib. 1. n. 141.) postquam retulit communissimam doctrinam, nempe: *cum res est levis, non peccat mortaliter transgrediens, etsi superior sub mortali praeeperit*, addit tamquam exceptionem ex Salmanticensibus (tr. 15. cap. 6. a. n. 86.), *posse praelatum regularem praecipere sub gravi, quod a regula praecipitum est tantum sub levi, si timetur, quod regula aliter non observetur.* Sed ut rite haec intel-

ligantur, advertendum est, Salmanticenses et Auctores ab his allegatos disputare de regulis, quae utique vi Constitutionum Ordinis illius obligant solum sub levi, aut solum sub poena, sed simul habent eam materiam, quae capax est gravis obligationis, v. gr. abstinencia a carnibus.

(3) Ita Synodus Tridentina irritat matrimonia clandestina, ex mero iure naturae alioqui valida: ita et leges civiles irritant testamenta praescriptis solemnitatibus destituta.